NOTA MAGISTRI

BRIANI TWYNE.

ERasmus Epiſtola quadam lib. VI. Epiſtolarum ad *Petrum Moſellanum* occaſionem hujus Epiſtolæ, ut puto, narrat ad iſtum modum: "*Anglia*," inquit, "duas habet Academias haudquaquam incelebres, *Cantabrigiam* & *Oxoniam*. In utraque traduntur Græcæ "literæ, ſed *Cantabrigiæ* tranquille, quod ejus Scholæ "Princeps ſit *Fiſherus* Epiſcopus *Roffenſis* non eruditione tantum ſed & vita Theologica. Verum *Oxoniæ* "quum juvenis quidam non vulgariter doctus ſatis feliciter *Græca* profiteretur, barbarus quiſpiam in populari concione magnis & atrocibus conviciis debacchari cœpit in *Græcas* literas. At *Rex*, ut non indoctus "ipſe, ita bonis literis favens, qui tum forte in propinquo erat, re per *Morum* & *Pacæum* cognita, denunciavit, ut volentes ac lubentes *Græcanicam* literaturam "amplecterentur. Ita rabulis illis impoſitum eſt ſilentium." *An. Domini.* 1519.

EPI-


NOTA MAGISTRI

BRIANI TWYNE.

ERasmus Epiſtola quadam lib. VI. Epiſtolarum ad *Petrum Moſellanum* occaſionem hujus Epiſtolæ, ut puto, narrat ad iſtum modum: "*Anglia,*" inquit, " duas habet Academias haudquaquam incelebres, *Can-* " *tabrigiam* & *Oxoniam*. In utraque traduntur Græcæ " literæ, ſed *Cantabrigiæ* tranquille, quod ejus Scholæ " Princeps ſit *Fiſherus* Epiſcopus *Roffenſis* non erudi- " tione tantum ſed & vita Theologica. Verum *Oxoniæ* " quum juvenis quidam non vulgariter doctus ſatis fe- " liciter *Græca* profiteretur, barbarus quiſpiam in po- " pulari concione magnis & atrocibus conviciis debac- " chari cœpit in *Græcas* literas. At *Rex*, ut non indoctus " ipſe, ita bonis literis favens, qui tum forte in propin- " quo erat, re per *Morum* & *Pacæum* cognita, denun- " ciavit, ut volentes ac lubentes *Græcanicam* literaturam " amplecterentur. Ita rabulis illis impoſitum eſt ſilen- " tium." *An. Domini.* 1519.


EPI-

AD ILLVSTRISSIMOS COMITES WARWICENSEM ET LEICESTRENSEM ORATIO GRATVLATORIA BRISTOLLIÆ HABITA APRIL. ANNO 1587.



OXONIÆ,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA IOSEPHI BARNESII.

APril. 16. Illuſtriſſimi Comites Warwicenſis ac Leiceſtrenſis è Bathoniâ decedentes Briſtolliam venerunt, importunis Ciuium precibus inuitati, eôque magis quòd Inſigniſſimus Leiceſtrenſis Ciuitatis eſſet illius (vt vocant) Seneſcallus. Poſtridie eius diei ſacram Synaxin a Concione Leiceſtrenſi traditam, cùm à prandio ad Prætorium vt (pro officio) de ciuitatis illius cauſis cognoſceret cum Prætore & Senatu aſcenderet pro prætorij foribus dictum eſt in hæc verba.





¶ILLVSTRISSIMO COMITI LEICESTRENSI, BRISTOLLIÆ SENESCALLO, OXONIÆ CANCELLARIO, BELGIÆ GVBERNATORI, SERENISSIMAE PRINCIPI ELIZABETHAE A CONSILIIS INTIMIS, OBSERVANTIAE ergô humillimus Sacellanus IOH. SPRINT Ecclesiæ Cathedr. Bristoll. Dec. D.D.



Vnquam duos simul in cælo Soles visum est splenduisse (Nobilissimi viri) quin unâ quandoq; læti, quandoque luctuosi, semper magni quippiã ac memorabilis mortalibus in terris obtigisse diligenter obseruarint solertiores naturæ perscrutatores. Bello ciuili inter Cæsarẽ & Pompeium exardescente, duos Soles micuisse Romæ funestum fuit. Ingruente item bello intestino inter Ludouicum Bauarum & Fredericum Austriacum de imperio, Germaniæ id nefastum fuit. Rursus veró pugnante aduersus Hannibalem

Scipione duo Soles conspecti præclaram vrbi victoriam portenderunt, & Augusto Cæsare inaugurato ijdem refulgentes tranquillam Orbi pacem attulere. Nos ergo qui vos nunc duos aureum par fratrum, quasi solos in terris Soles, alterum Warwicensem, Leicestrensem alterum, ambos Comites, ambos comes, religiosos ambos, ambos pios, vrbi huic nostræ pariter summâ serenitate relucentes intuemur, non possumus non omnia nobis exortu vestro læta fausta, atque prospera ominari. Castorem & Pollucem quondam (vt aiunt) fratres, si soli ad nauem accedant, turbulentum, sin iuncti (vt nunc vos) veniant, tranquillum mare nauigantibus portendere ferunt Philosophi; Saturnum & Martem, quia maligniores sunt coniunctos mortem; Iouem ac solem qui benigniores quales vos estis, vitam semper adferre mortalibus astrologi opinantur. Quare cum nec vos duos vllius vnquam rei respectus disereuerit, nec vestrum alterius quenquam iniquior aliquando respectus aspexerit, quemodo nos Castorem & Pollucem, Iouem ac Solem iunctos conspicientes, tranquillitatem nobis, atque vitam vobiscum aduenisse non triumphemus?

Atq; vt ad te paulisper (Illustrissime Heros

ros & Here mihi multum obseruande) cuius nos sumus & vrbs hæc nostra (post serenissimam Principem Elizabetham, peculiaris est ac propria, conuertatur Oratio: Si omnes omnium ordinum hic nostrum homines inusitata quadam incredibili aduentus tui lætitia perfunduntur, mirari non debes, eum & quem Academia nostra vitam vocat, nos viuum; quem Anglia nostra sentit salutem, nos saluum; quem Belgia ducem habet, nos reducem; quem Bristollia hæc nostra caput absentem agnoscit, nos memora nunc præsentem contemplemur. Et si remotiores illas gentes amabilis tuæ præsentiæ radij coruscantes sic exhilerarint, vt vnà omnes in vnum gratiarum, ac gratulationum apertis fancibus fontes effuderint, quibus ascititâ tamen & alienâ quadam luce splenduisti, qui in suâ nunc ipsius Sphæra situs, nostri sol es vertes Hemisphærij natiuáq; corã claritate nites: multò quidem nobis & meliore colore fulgeas, & maiore calore foueas, & ampliore affectu fauce, & vehementiore demum virtute atq; vi necesse est & recrees vniuersa.

Atq; vt de singulis quæ præ manibus nunc habemus aliqua dicam, ne nihil, & tamen de multis pauca summis tantum attingam digitis

 nè

ne nimiũ dixisse videar: cum tu Academiæ nostræ antiqua & tamen temporum iniquitate antiquata priuilegia benignè renouaueris, abrupta seuerioris disciplinæ vincula prudenter reuinxeris, interrupta melioris literaturæ exercitia diligenter restitueris, & in summa (quod & summum est) corruptas deterioris sectæ scintillas restinxeris religiosè: quomodo non illa te, quæ sæpe sic in magnis fecisti reuiuiscere, quámque in multis sic sẽper facis viuere: quomodo (inquã) illa te, vsq; ad mortem tuam quasi vitam suam quem videt, non vocet, quem sentit non censeat, quem testatur non protestetur, etiam amplexetur, veneretur & colat? Testes etenim vel tacente ipsâ tot sunt, quot tu ex ea liberos, è musæorum latebris enixos ad Musarum lucem enatos genuisti, quotq; posteâ a matris vberibus auulsos, ad reipub. subsellia euectos eduxisti, atq; educasti; vt non tam viuere ad rei priuatæ sustentationẽ, quod tantum est ferè viuere, sed & bene viuere, quod solum est verè viuere ad reipub. vtilitatem possent. Sic illi vtrinq; ex te cum viuant, tam iure suo quàm bono suo tu vita illorum vita diceris. Perge porro (Illustrissime Comes) & matris nostræ maritus amans nobis ex te viuis ac viuentibus, patronus semper

semper, Pater ac vita sis. Sic & ipse post vitam viues, sic viuunt etiam mortui & Romæ Aurelius, & Arragoniæ Alfonsus, & Poloniæ Sigismundus, & Daniæ Christiernus, & Galliæ Lodouicus, & Angliæ Henricus & Pater & auus Elizabethæ nostræ, ipsaq; sic nunc viuit Elizabetha vita nostra, & tua, & totius Angliæ suaque & diu viuat, (atque ô faxit Deus) ardentissimis votis omnes comprecamur, quâ mortuâ, (atqui ô seruet Deus) omnium nostrum vitæ morientur.

Sed quid ego de Academiâ loquor, & te vnius anguli vitam voco, qui totius Angliæ quocunque te verteris fælix, faustúmque semper sidus affulsisti. Qui non tantum serenissimæ Reginæ a consilijs quod nobis omnibus salutare semper fuit, verùm & sacrosancti illius fœderis de salute moderatricis nostræ, quod associationis iusiurandum vocauere, cum & fautor & autor fueris ipsius quodam modo salutis nostræ salus extitisti.

Atque hic ego si a fonte ad riuulos veniam, & quot tu vel petentes exaudieris, vel egentes expleueris, vel periclitantes adiuueris, vel nil meritis profeceris, vel malé meritis bené feceris, vel amicos tuos promoueris, vel inimicos nostros propulsaris, deniq; quomodo tu vel singulis

benignitatis

benignitatis priuatæ ianuas aperueris, vel omnibus impēdentes publicæ malignitatis tempestates auerteris sigillatim aut summatim saltē enumerare si velim, dies citius deficiat quàm oratio, verba quàm materia, & vox quàm veritas. Nilum etsi septicipem (scribit Herodotus) extra Ægyptum nusquam fæcundare, atq; in Ægypto, vrbes ac populos nunquàm transgredi. Oceanum etiamsi vastum, raro tamen extra ripas suas humectare nos cernimus. Tua vero ipso planè Nilo fæcundior benignitas omnes Angliæ nostræ agros, populos, vrbes etiamq; domos, circumfluis munificentiæ tuæ fluminibus irrigauit, ipsoq; Oceano quodam modo maior, non nostras tantum ripas imples, sed ad longinquas etiam nationes fluctus prouehens, quasi perenni quodā humanitatis fluxu ac refluxu, ad illos fluis, ad nos refluis, vtrosq; superfluis ac fæcundas. Atq; vt cælestia illa sydera quos Planetas dicimus non solum propinqua sibi signa regunt, sed & remotissima in terris corpora suis afficiunt influentijs, ita & tu (Mæcenas omnium benignissime) non nos tantum domesticos tueris tuos, sed & longe positas nationes & consilio dirigis, & auxilio protegis, & opera seruas, & opibus subleuas, itaq; omni quà potes ope iuuas.

Atq;

Atq; hic ad Belgiam, recto cursu deuolutè plenis quasi velis prouehimur, vbi vel quantum expetitus, vel quamdiu expectatus, vel quomodo acceptus fueris quæ omnia (magno omnium cum applausu facta sunt & triumpho) dicere superse-deo, etsi magna sunt, & merita sunt, & quia mul-ta sunt, & nota sunt, & ad maiora venio. Cum e-nim hic primo appulsu tuo & duces sine spe, & milites sine re, & populos prope sine se repereris, postquam in ijs locis tu pedem fixeras quasi sol ortus illis omnes statim præsentiæ tuæ serenitate, miseriarum nebulas dispulisti. Tu illos, & iacen-tes erexisti, & mærentes recreasti, & metuentes confirmasti, & vacillantes confirmasti, etiamq; prope iam victos, plane victores tua prudentiâ ac potentia effecisti. Deinde fælicissimis tuis auspi-cijs, etiam inuitis hostibus summâ cum eorum clade, fame grauata GRAVA recreata est. BERKA cum Holloco, præsentibus hostibus miro diuertendi stratagemate seruata est. DE-VENTRIA frustra festinantibus hostibus magna celeritate præoccupata est. ZVTVE-NA (proh dolor, propter infestum optimi Sydnei omen, infaustum nomen) inspicientibus hostibus propugnaculorum expugnatione debilitata est. Immo viginti plus minus vrbes & arces verâ vi

ab

ab illis abrepta sunt, tres tantum per illos astu ac prodstione subrepta sunt, in quibus tamen nè vnus quidem miles Anglus propugnator extitit. Hic tu cum quatuordecim tantum equitum centenis, ac peditum 7 millibus aduersus militum omnium generum duodeuiginti millia, eosque veteranos, Gallos, Germanos, Hispanos, Albaneres, Italos, ipsum militiæ Regiæ florem non tantum stetisti, sed & restitisti, nec illi tot turmis stipati, totq; modis instructi, aduersum te quicquam adhuc sunt ausi. Quod si hic Antuerpia tradita est, actum est illud priusquā tu veneras; & si Deuentria prodita est, transactum est istud postquā tu abieras. Si Graua hic ablata est, tradidit Hemartus; & suorū testimonio pro traditore traditus est carnifici. Si perdita Venloa, ipsi eam ciues prodidere. Si Nuissa amissa est, nihil ad te tua nunquam fuit. Si hic nimio virtutis feruore periyt noster Philippus Sydneius (graue quidem nobis inflictū vulnus confitemur) pro eo vno ac vnà cū eo & confossus est eorum Hannibal, Gonzaga cognomine; & captus est Georgius Cresiorus ambo magni nominis duces ac notæ nobiles. Deniq; dum hic tu cum clarissimo Pelhamo Disburgi muros exploras non sine magno periculo tuo, (at ipsius vulnere) præsentissimum vitæ tuæ discrimen

discrimen inuicto pectore subiisti. Postremo hic tu religionem labefactatam restaurasti, vectigalia diminuta restituisti, nobiles dissidentes coniunxisti, populos effrenes cohibuisti, regiones vastatas refecisti, vrbes desolatas compleuisti, duces perculsos animasti, milites dispersos congregasti, terras amissas recuperasti, hostes superbos debellasti, atq; ita summa cum & rerum ipsarum effectu, & populi illius affectu, & Principis nostri fauore, & hostiũ ipsorũ admiratione, & quod maximũ est Dei optimi maximi protectione, immortali ei propterea immortales sint gratiæ, omnibus gratiosus & gloriosus rediisti. Quod quàm verum sit, & ex turbis quæ in iis locis post reditum hunc tuum passim pullularunt facillimè potest coniici, & quotidie omnium eorum ordinũ transmissæ preces præsentiamq; tuam rursus efflagitantes, plenissimè contestantur.

Et nunc vt vnâ tecum redeamus, & itineri nostro, quia tu iam fortasse fessus es de tuo, imponamus finem; Bristollia hæc nostra, cuius tu iamdiu tutelare quoddam numen extitisti, etsi cum ciuitatibus illis, nec ciuium multitudine, nec ambitus magnitudine, nec ædificiorum pulchritudine, nec diuitiarum amplitudine, nec spectaculorum fastu, nec conuiuiorum sumptu,

nec

nec gratulationis modo, (vllo fortasse modo) comparanda sit, quæ omnia externa tantum & incerta sunt, attamen, amore, fauore, honore, fide, quæ & interna & æterna sunt, nec illis ibi, nec alijs alibi, nec vllis vbicunq; vnquam cedet. Quæ vt aduentum hunc tuum & tibi & sibi serio gratulatur, proptereáque & Deo suo gratias agit infinitas, ita & ab eodem humillimis illa votis obtestatur: vt & Academiæ vita diu viuas, & Angliæ Salus longum valeas, & Belgiæ custos multum vigeas, & Bristolliæ caput & sæpe sanus ad nos redeas, & saluus quocunque semper eas: vtq; tu nobilissime Warwicensis tali fratre, & Elizabetha serenissima vtrisque vobis tantis viris, & nos Elizabetha nostra tali ac tanta principe, omnesq; vnà tandem æterna maiestate quàm fœlicissimè in sempiternum perfruamur.

DIXI.

¶ In aduentum Illustrissimi Comitis *Leicestrensis cùm primùm Cancellarius Oxoniensis Academiam accederet.*

Redditur Oxonio Bulli, Erepta Repentè
Te Veniente Salus Das Vrb. Dudlee Lucem
Exhilaras Vultu Spem Cedit Amabile Nomen.
Consilit E Luctu Languens Academia Regnat
Inuidiosorum Voces Suppressit Ouatque
Xerxis Opes Nomenque Iacent En Nobile Sydus
Indeuincibilis Superat Comes Omnia Mundo
Egregius Splendor Laudisque Excelsa Cupido
Efficiunt Similem Ter-magnis Regibus Esse.
Nec Secus Interius Splendet Viget Intima Virtus
Accumulansque Tuas Laudes AEterna Triumphans
Viuet Secla, Magisque Vigens Lucentia Tanget
Astra Sono; Et Cælo Veneranda Locabit Amantem.

FINIS.

ROBERTVS DVDLEVS CANCELLARIVS OX-
ONIENSIS COMES LECESTRENSIS VIVAT
LAETVS MVLTA SECVLA. AMEN.